

crispus, nec aliunde pretiosiora opera. Præcipuam autem esse eam arborem circa Ammonis delubrum. Nasci & interiore Cyrenaicæ parte. De mēsis tamen tacuit, & alias nullius ante Ciceronianam uetustior memoria est, ex quo nouitia apparent. Alia est arbor eodem nomine, malum ferens execratum aliquibus odore & amaritudine, alijs expetitur, domos etiam decorans, nec dicenda uerbosius.

De arbore loto.

CAP. XVII.

E Adem Africa qua uergit ad nos, insignem arborem loto gignit, quam uocant celtin, & ipsam Italia familiarem, sed terra mutatam. Præcipua est circa Syrtes, atque Nasamonas. Magnitudo quæ piro, quanquam Nepos Cornelius breuem tradat. Incisuræ folio crebriores, alioquin ilicis uiderentur. Differentiæ plures, eaq; maxime fructibus fiunt. Magnitudo huic fabæ, color croci, sed ante maturitatem alius atq; alius, sicut in uuis. Nascitur densus in ramis myrti modo, non ut in Italia cerasi: tam dulci ibi cibo, ut nomen etiam genti terræq; dederit, nimis hospitali aduenarum obliuione patriæ. Ferunt uentris non sentire morbos, qui eum mandant. Melior sine interiore nucleo, qui in altero genere offensus uidetur. Vinum quoque exprimitur illi, simile mulso, quod ultra denos dies negat durare idem Nepos: baccasq; contusas cum alica ad cibos dolijs condi. Quin & exercitus pastos eo accepimus, ultro citroq; comēantes per Africam. Ligno colos niger. Ad tibiarum cātus expetitur. E radice cultellis capulos, breuesq; alios usus excogitant. Hæc ibi natura arboris. Est autem eodem nomine & herba, & in Aegypto caulis in palustrium genere. Recedentibus enim aquis Nili riguis, prouenit similis fabæ caule, folijsque densa congerie stipatis, breuioribus tantum, gracilioribusque: cui fructus in capite papaueri similis incisuris, omniūque alio modo, intus grana ceu milium. Incolæ capita in aceruis putrefaciunt, mox separant lauando, & siccata tundunt, eoque pane utuntur. Mirum est quod præter hæc traditur: Sole occidente papauera ea comprimunt, & integri folijs. Ad ortum autem aperiri donec maturescant, flosque qui est candidus, decidat.

De scapo ipso, & radice loti. CAP. XVIII.

Hoc amplius in Euphrate tradunt, & scapum ipsum, & florem uespera mergi usque in medias noctes, totumque abire in altum, ut ne demissa quidem manu possit inueniri. Verti deinde paulatimque subrigi, & ad exortum solis emergere extra aquam, ac florem patefacere, atque etiamnum exurgere, ut plane ab aqua absit alte. Radicem lotos hæc habet mali, cotonei magnitudine, opertam nigro cortice, qualis & castaneas tegit. Interius candidum corpus, gratum cibus, sed crudo gratius decoctum, siue aqua, siue pruna. Nec aliunde magis, quam purgamentis eius sues crassescunt.

De paliuro, & punico malo, & de flore Punici mali.

CAP. XIX.

CYrenaica regio loto sua postponit paliuro. Fruticosior hæc fructuq; magis rubens, cuius nucleus nõ simul manditur, iucundus p se, atq; suauior è uino, quin et uina succo suo comēdas. Interior Africa ad Garamantas usq; & deserta, palmarum magnitudine & suauitate constat, nobilibus maxime circa delubrum Ammonis. Sed circa Carthagini nem Punicum malum cognomine sibi uindicat. Aliqui granatum appellant. Diuisit & in genera, apyrinon uocando, cui lignosus nucleus abest. Sed cãdior ei natura, & blandiores sunt acini, minusque amaris distincti membranis. Alia structura eorum, ut in fauis communis. Nucleos habentium quinq; species, dulcia, acria, mixta, acida, uinosa. Samia et Aegyptia, distinguuntur erythrotomis et leuocomis. Corticis maior usus ex acerbis ad perficienda coria. Flos balaustium uocatur, & medicinis idoneus, & tingendis vestibus, quarum color inde nomen accepit.

De Asiæ & Græciæ fruticibus. CAP. XX.

IN Asia & Græcia nascuntur frutices, Epicactis, quæ alij embolinen uocant, paruis folijs, q̄ pota contra uenena prosunt, sicut Herices contra serpentes.

De thymelæa, siue chamelæa, & tragacanthæ, & de tragio, siue scorpione, & myrice, & brya, & galla.

CAP. XXI.

ET in quo nascitur granum Gnidium, quod alij qui linum uocant. Fruticè uero thymelæa, alij chamelæa, alij pyros achnen, alij cnestron, alij cneoron. Est similis oleastro, folijs angustioribus, gummosis si mordeantur, myrti magnitudine, semine, colore, & specie farris, ad medicinæ tantum usum. Tragion fruticem sola Creta insula gignit, terebintho similem & semine, quod contra sagittarum ictus efficacissimum tradunt. Eadem & tragacanthem, spinæ albæ radice, multum prælatã apud Medos aut in Achaia nascenti. Pretium eius in libras xij. Tragion & Asia fert, siue scorpionem, uepreme sine folijs, racemis rubentibus, ad medicinæ usum. Myricen & Italia, quam alij tamaricen uocant. Achaia autem bryan syluestrem: insigne in ea, quod satina tantum ferat gallæ similem fructum. In Syria & in Aegypto copiosa hæc est, cuius infelicia ligna appellamus, quæ tamē infelicia sunt Græciæ. Gignit enim arborem ostryn, quam & ostryam uocant, solitariam circa saxa aquosa, similem fraxino cortice, & ramis, folio pyri, paulo tamen longioribus crassioribusq; ac rugosis incisuris, quæ per tota discurrunt: semine hordeo simili & colore. materies est dura atq; firma: qua in domum illata, difficiles partus fieri produnt, mortesq; miseræ.

De euonymo, & adrachne, coggygia, & thapsia.

CAP. XXII.

Nec auspiciator in Lesbo insula arbor quæ uocatur euonymos, nõ ab similibus Punicæ arbori, inter